

# P R A E F A T I O

**C**um graves rationes suaserint, ut est in praecedenti Epistola declaratum, monumenta Aquensia ab historia sejungere, atque ab illis exordiri, nunc aliqua mihi praefari necesse est. Neque tamen de hujus collectionis utilitate, ac praestantia verba faciam. Res enim, est in hac qua vivimus litterarum luce adeo omnibus aperta, ac tot scriptorum sermonibus trita, ut eam persequi inutile opus foret. Quin immo praestaret potius rationem aliquam ac normam tradere, qua harum rerum curiosi, ac irrequieti indagatores dirigerentur in eorum delectu habendo, quae utiliora historiae ac scientiarum augmentis fuerint, ne passim omnia, quae in manus venerint edentes confusionem potius, atque obscuritatem inducant, vel ita in immensum augeant, ut non nisi summo, ac prope infinito labore meliora, ac praestantiora documenta secerni ab aliis possint, de qua re alii viderint. Nos enim longe absumus ab hac cura. Si enim detrahas, quae Ughellius in Episcopis Pedemontanis, Guichenonius in Sabaudiae Ducum historia, et Bibliotheca Sebusiana, et editores chartularii Ulciensis, Durandus in multis, quos edidit optimae notae libris, Augustinus ab Ecclesia in Chronologia Episcoporum, et Abbatum Pedemontis, Muratorius in historia Fossanensi, ac Tenivelli protulerunt, quae quidem quam pauca, quam exigua in tanta historiae nostrae obscuritate, varietate, ac saeculorum progressionem, et exteri queruntur, et omnes nostri saepe in ore habent; vix alius est, qui huic antiquarum rerum inopiae ad patriae decus atque ornamentum opem ferre voluerit.

Hisce itaque praetermissis illud mihi explicandum ante omnia est, quorsum spectet haec tam multiplicis, ac varii generis documentorum collectio. Facile enim continget, ut lectores tam in operis titulo, quam in ejus prosecutione videntes chartas Aquenses cum Alexandrinis, itemque alia plura ad Marchiones veteres late in Pedemonte Cispadano regnantes illis permixta haereant, causam, qua haec unio fiat, atque consociatio prorsus ignorantes. Quae sane admiratio cessaret, si historia monumentis anteiret. Ex illius enim contextu atque narratione intelligerent perspicue modum, quo singula suum occupant locum, atque rationem utilitatemque illorum ex historia detegerent. At cum nos aliam tenuerimus viam, idcirco necesse prorsus est, ut rationem eorum quae a nobis facta sunt lectoribus exponamus.

Et primo quidem multas ex Alexandriae tabulariis erutas scripturas cum Aquensibus duxi conjugendas, quia ab illius civitatis origine usque ad initium saeculi XIV. ita utriusque rationes fuerunt inter se connexae, ut in multis unam prope utriusque civitatis, et Ecclesiae historiam constituent. Quod licet iis, qui aliquam habent hujus historiae notitiam compertum sit, quia tamen res neque omnibus obvia est, et nonnulli in controversiam deducere student, atque quam maxime ad haec intelligenda necessaria, idcirco brevius